Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26055
Copyright: Admont, Benediktinerstift

venerint amplius cruciantur: ut non sufficiat diei malicia sua. sed que fortasse numquam sentient tam opprimant. que tormenta quis infernus poterit intolerabilior cogitari. Dum enim et labore premuntur: et celestis panis non sustentantur edulio et auxilio: omnino mirum est quemadmodum vel una die subsistere queant. Hi sunt qui in adiutorio altissimi non habitant. quia de eo desperant: et ideo minime querunt illud. Priores autem ideirco non querunt. quia nequaquam sibi illud sentiunt necessarium. extremi vero propterea longe sunt. quod eo minus querant auxilium dei quo obtinere non possunt. Soli enim in adiutorio altissimi habitant. qui circa illud tota intentione versantur: illud desiderant: in illo sperant. et illud omnimodis amittere TREPIDANT.

Beatus plane qui sic habitat in adiutorio altissimi: quia in protectione dei celi commorabitur. Quid enim nocere poterit ex his que sub celo sunt: quem deus celi protegere et manu tenere voluerit. Porro sub celo sunt quecumque nocere possunt. Sub celo sunt aeree potestates: sub celo presens seculum nequam. et caro adversus spiritum concupiscens. Optime ergo dictum est. sub protectione dei celi commorabitur: ut nichil eorum que sub ipso sunt timere possit. quisquis protectionem eius habere meruerit. Sive ita dictum sit. ut ad versum sequentem oratio pendeat. Qui habitat in adiutorio altissimi in protectione dei celi commorabitur: dicet domino susceptor meus es. et sit quod dicitur in protectione. expositio precedentis. qui habitat. At vero diligentius attende quod in protectione dicitur: non in presentia. Angelus in presentia eius exultat. ego utinam possim eius protectione muniri. Dei celi inquit. Licet enim ubique esse non dubitetur: sic tamen in celo est. ut ad eius comparationem nec esse videatur in terris. Propter quod et in oratione dicimus. qui es in celis. Sic enim anima quoque cum in toto sit corpore: excellentius tamen et singularius in capite est. ubi sunt omnes sensus. Nam in ceteris omnibus membris vix unum exercet. solum scilicet tactum. Unde quoniam ad eum modum quo in capite est. cetera membra videtur quodammodo non tam inhabitare quam regere. Ita si presentiam illam cogitem: qua beati angeli perfruuntur: videre possumus nos vix aliquam protectionem et nomen eius habere. Felix tamen anima: que vel hanc protectionem meretur. V K. DE VERSU SECUNDO.

Dicet enim domino susceptor meus es: et refugium meum. Dicet in gratiarum